

Alte Drucke

Liber Quartus Psalmorum, In Quo Grande illud de Redemptione totius Adami, rerumque omnium ejus gratiâ Restitutione, Mysterium, hactenus Mundo ...

Serrurier, Pierre

Amsterodami, 1668

Psalm. CII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-173812

suprà ex omnibus hujus Mysterii Sabbathici Canticis audivimus; At nunc in seqq. inveniemus etiam hoc Mysterium, quomodo quoque rescissæ, & è terrâ viventium evulsæ, Animæ, è tandem pervenient, ut DEUM laudent, & tam Misericordiam quàm Judicium ejus celebrent, & annuncient. Sequitur enim

P S A L M. CII.

S E U

ORATIO Miseri, qui se è Regno CHRISTI, Decem præced. Psalmis descripto, ejectum, & maximis Animæ angustiiis coarctatum videns, supplex coram DEO preces suas effundit, prout Psal. 72. 12. prædicitur.

1. **לעני תפלה** h. e. Oratio Miseri seu Pauperis, quando angustiiis afficietur, & coram JEHOVA effundet Orationem suam.
2. **O** DEUS exaudi! penetret vox intima Cordis
Ad Cæli sedes, seu loca Sacra, tuas!
3. Ne semper vultus à me, DEUS Alme, recondas,
Sed mentem advertas ad mea vota citò.
Scilicet, hac horâ quâ Mens perplexa laborat,
Nec non & Curis angitur usque suis.
4. Te voco, Tu mihi sis citus arbiter, ô DEUS, & me,
Ist hac festinans eripe de foveâ.
5. Defecere meæ malefausta tempora vitæ,
Ossaque præ pænis arida facta meis.
Cor, velut herba recens, radiis Solaribus usta,
Totum defecit viribus ac animo.
6. Panem fastidit, præ luctu, Spiritus omnem,
Deformique hærent fortiter ossa cuti.
7. Sum velut in vasto mærens Pelicanus Eremo,
Et totâ Bubo nocte ferale caro.
8. Et veluti Passer, tecto gemebundus in alto,
Solus ago; nulli junctus amicitia.

9. *Est inimica manus totis me seva diebus,
Continuis probris ludibrioque premit :*
10. *Idque vel ob cineres mihimet pro pane comestos,
Et lachrymas mihimet pro latice imbibitas ;*
11. *A facie, Deus Alme, tuâ ; quia versus in Iram,
Me prius euectum nunc premis ac perimis.*
12. *O quàm vilis ego ! qui mox velut Umbra peribo,
Et velut herba suo cassa vigore cadam :*
13. *Tu verò, Deus Alme, manes ; tua tempora nunquam,
Nec Genus aut virtus tempore deficient.*
14. *Tu nunc surge, precor, pressa miserere SIONIS !
Iam miserescendi tempus & hora subit.*
15. *Huc ventum quippe est ; ut jam pro Munere ducant
Quod prius averfis propulerant animis,
Servorum miseranda Cohors : jam Pulvere gaudent,
Et Te de pœnis justificant meritis.
Eja veni ; & videant de nostro Pulvere Gentes,
Quàm poteris pulchras edificare Domos :*
16. *Et quotquot Reges toto numerantur in Orbe,
Te videant nobis propitium famulis.*
17. *Nam Deus edificat celsæ præclara SIONIS
Mœnia, & apparet Magnus in Arce suâ :*
18. *Exulis à precibus non est aversus egeni :
Et pronâ miseros audiit aure loqui.
Hæc quando Gentes Mundi Regesque videbunt,
Te colere actutum Teque timere volent :*
19. *Quod scriptum hæc, solâ scriptum pro Gente futurâ,
Quæis dabitur Laudes tunc celebrare Dei ;*
20. *Quod Celsus, celsoque sedens Deus Almus Olympo,
Huc dedignatus respicere haud fuerit.*
21. *Vinctorum ut gemitus hæc exaudiret, & illos
Eriperet Morti, qui modò Mortis erant.*

22. *Scilicet ut magnum celebretur Nomen Iova,
Cui Laudem in Solyimis inque SIONE canent,*
23. *Quamprimum fuerint Populi, velut agmine facto,
Una cum Terra Regibus unanimes.*
24. *Afflixit me Iova, meum mihi tollere robur
Pergens, atque meos abbreviare Dies.*
25. *Ast ego, Ne mediis vita mihi stamen in Annis
Succidas, supplex, mi Deus Alme, rogo.
Anni nempe tui de saclo in sacula durant,
Nevè in Te possit tempus habere locum.*
26. *Ipse Tibi Terram fundasti, & quicquid in alto
Conspicitur Cælo, statque caditque Tibi.*
27. *Ipsi transibunt : Tu verò in Sæcula stabis :
Non ipsi, sed Tu, mobilitate cares.
Omnia quæ toto Mundi spectantur in Orbe,
Vultum mutabunt ad tua iussa suum :*
28. *Tu verò semper persistes unus & idem,
Qualis eras olim, talis adhuc hodie es.
Talem Te invenient æterna in sacula Servi,
Quæis dabis æterno Fœdere pace frui :*
29. *Quorum etiam Semen te coram stabit in ævum,
Et Terram hanc virgâ nobiliore reget.*

Hæc est supplex Oratio, non alicujus in Babylone Captivi (prout Belgæ Interpretes, hujus Mysterii ignari, eò referre hæc verba student) sed hominis cujusdam è terrâ viventium excisi, vel alicujus qui se à Regno J. CHRISTI exclusum, & peccatorum suorum poenâ undequâque gravatum sentit, eapropter suspiria, supplicationes & lamenta coram Domino effundens. Tale autem quid locum habiturum in CHRISTI Regno, imò & propriè ad illud regimen pertinere, Sole clariùs patet ex Psal. 72 : qui Psalmus typum totius Regni Messiaë exhibet. Ibi enim disertè de hoc Rege affirmatur, vers. 12. *Quod eruet pauperem clamantem, & afflictum cui non est Auxiliator. Miserebitur pauperis & inopis, &c.* Idem passim Scriptura innuit, nec non & Symbolum quod vulgo Apostolicum vocatur : quando de hoc Filio Davidis, Christo, dicitur, quod *in Secundo suo Adventu judicatum veniet vivos & mortuos.* Imo & Apostoli hoc disertè confirmant. 1 Petr. 4, 5, 6, & 2 Tim. 4, 1, *Ibi enim de Apparitione & Regno loquens, dicit*

dicit Apostolus, *Eum tunc Mortuos judicaturum & Vivos*; non solum ad pronuntiandum sententiam contra Mortuos, & è terra viventium excisos; sed etiam ad efficiendum, ut tandem Judicium revertatur ad Justitiam. Psal. 94. 15. & ut à dolo & iniquitate eruat animas eorum. Psal. 72. 14. Quomodo autem hoc fiet, documento nobis erit hic Pauper ejusque Oratio: in qua quatuor habemus Capita.

- I. Ipsam Orationem, effusam vers. 2, 3.
- II. Argumenta ad exauditionem impetrandam allata. vers. 4, 5, &c.
- III. Hujus Exauditionis Consequentiam. vers. 16, 17, &c.
- IV. Totius rei repetitionem, ad agnoscendum Dei æternum permanentem Bonitatem. vers. 24, 25, &c.

I. Caput. Quod atinet Orationem ipsam, illa continetur vers. 2, 3.

Vers. 2. *Jehova, audi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.* 3. *Ne abscondas faciem tuam à me: in die angustiarum mearum inclina ad me aurem tuam: in die quâ invoco, festina, exaudi me.* Quasi diceret Anima,

Nunc tandem audi Jehova, dum invoco te, veniat ad te clamor meus: afflictionem meam respice, & inclina ad me aures tuas; Ne anima quam tu fecisti, obruatur. Nam cur in vanum creasses filios hominum, prout alioqui dicendum erit, nisi festinanter me exaudias.

II. Psalmi hujus caput, Argumenta continens, ad impetrandum exauditionem allata, constat versib. sequentibus 4, 5- usque ad 16.

4. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea tanquam focus exusta sunt.* 5. *Percussum est velut herba, & exaruit cor meum.* 6. *A voce gemitus mei adhaesit cor meum Carni meae.* 7. *Affimilatus sum Pelicano Deserti: fui sicut Bubo solitudinum.* 8. *Vigilo, & sum sicut Passer solitarius super tectum.* 9. *Tota die probris afficiunt me inimici mei; insanientes in me per me jurant.* 10. *Quia cinerem tanquam panem manducavi, & potum meum cum fletu miscui.* 11. *A facie indignationis tuae & ira tua: quia elevasti & projecisti me.* 12. *Dies mei sunt ut Umbra inclinata, & ego sicut herba arefcam.* 13. *Tu autem JEHOVA in seculum permanes: & memoria Tui in generatione & generationem.* 14. *Tu exurge & miserearis Sionis: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus statutum.* 15. *Quoniam maxime diligunt Servi tui lapides ejus, & æquo animo ejus pulverem ferunt.*

En, hæc sunt Pauperis ad exauditionem impetrandum Argumenta! desumpta partim à Misericordiarum, in quam à facie Iræ Dei devolutus erat, profunditate; partim verò ab immutabili, quæ in Deo est, adeoque & Misericordiarum ejus, & Gratiarum essentia: unde necessariò sequi oportet, Quod quocumque homo sufficienter humiliatus fuerit, & Ira Dei suam in homine opus absolverit, illicò revertatur, seseque manifestet iterum Misericordia seu Gratia Dei. Id cum semel jam (sub ipsa initia Regni) in totâ Iacobi Domo eventu comprobatum fuerit, ejus deinceps recordabuntur quoque omnes cujuscunque generis homines, qui similiter pro tempore, per seductionem peccati, à facie Iræ Dei è terra viventium erunt ejecti. Hoc autem ita esse, & non posse hæc intelligi de hominibus in hac vitâ; sed necessariò de iis qui exstant in futura; non de iis qui adhuc sub dispensatione gratiarum vivunt; sed de iis, qui per iram è terrâ evulsi, irâ quasi cooperiti sunt; id abundè patet tam ex Psalmi Inscriptione, quæ est *פני Pauperis,*

יָמֵי עֲמִיפּ quando opprimitur angustiis, five torquetur; (quid enim hoc aliud sonat, quàm Virum hâc vitâ defunctum, & in tormentis jacentem?) quàm ex ipsâ Pauperis hujus, & in tormentis jacentis. Descriptione. Quando enim affirmat, *Dies suos defecisse sicut fumus, & quod Ossa ejus tanquam focus exusta sint*; vers. 4. Quid voluit aliud, quàm dicere, jam præterisse dies vitæ suæ, seque inter Mortuos annumerari, in quibus nihil vitæ superfit; imò & *Ossa ipsius*, non aliter ac focus, ita exusta esse, ut ne scintilla vitæ, seu ignis pristini, in illis remanserit. Deinde, quando dicit, *Percussum esse & exaruisse Cor suum, velut herba; adeo ut oblitus fuerit comedere panem, & quod à voce gemitus sui adhaerit Cor ejus carni suæ*, vers. 5. 6. Nonne animæ tormenta notat, quibus omnis vigor & viror cordis, velut herba, exarescant necesse est? Ne autem quis putet, hæc de futurâ vitâ non posse agi, quia heic de comedendo pane, deque Ossibus carni adhaerentibus, agitur; quæ ad futurâ vitæ statum pertinere non videntur; Inspiciatur locus Eſaiæ LXV. Ubi de discrimine, quod in futurâ vitâ conspicietur inter illos qui heic Domino servierunt, & illos qui ei non servierunt, sic loquitur: vers. 13, 14. *Ecce, servi mei comedent, & vos esurietis; ecce servi mei bibent, & vos sitietis, &c.* Item Lucæ c. xvj. 24. ubi Dives epulo ab Abrahamo sibi in Inferni tormentis constituto petit, Lazarum mittat, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ac refrigeret linguam suam: quia siti cruciabatur. Et quando Apost. docet, quod omnes sistemur coram Tribunali CHRISTI, ut unusquisque reportes TÀ DIÀ TÔY SÔMATOS, propria corporis, ut Hieronymus vertit, prout gessit, sive bonum, sive malum 2 Cor 5. 10. Quid aliud vult, nisi quod etiam, stante CHRISTI Regno in terrâ, homo non minus in illa quàm in hac vitâ, tam Mali quàm Boni in corpore susceptibilis sit futurus? Quocirca mirum videri non debet, quòd Pauper hic, in Inferno constitutus, de talibus animæ angustiis, & tali cordis ariditate ut edere obliviscatur; & de gemitibus ejusmodi, quibus Ossa ejus Carni adhærescant, conqueratur. Ubiunque enim Corpus est, quod necdum Immortalitate & Incorruptibilitate donatum est, ibi quoque necessariò locum adhuc habent, & habere debent, omnes Corporis plagæ, usque dum reveratur Judicium ad Justitiam, seu Victoriâ. Pf. xciv. 15.

Denique, quando Pauper hic loquitur de quadam ab omni Hominum consortio separatione, se-ipsam assimilando Pelicano Deserti & Buboni, quæ aves immundæ sunt, in Solitudinibus se continentes, prout vers. 7. exprimitur; Quid aliud significare voluit, quàm ipsissimam illam conditionem eorum, qui è terrâ viventium proscripti, in tenebras exteriores amandati sunt? Et quando dicit, vers. 8. Se stare & vigilare super teetum sicut Passer solitarius, nonne hoc ipso innuere vult, se ab omni humanâ consolatione profusus esse destitutum, & unicè expectando expectare, prout quoque Defunctis nulla alia consolatio superest, nisi an fortè DEUS faciem suam eis iterum obvertere dignaretur. Et quando postea subdit, se à facie Indignationis & Iræ Divinæ, Inimicis suis in tantum opprobrium & ludibrium celsisse, ut eapropter cinerem tanquam Panem comederit, & sletum cum potu miscuerit, vers. 9, 10, 11. Quid aliud significatum vult, Quàm se pro tempore Infernalibus traditum esse Inimicis? sub quorum potestate adeo nunc sub-

missum se sentiat, ac prius se supra eos elevatum esse præsumperat.

Ut autem ex profundissimâ hac miserâ aliquod adhuc Solatii à Deo captaret, accomparat heic profundam suam paupertatem & miseriam cum constanti & æternâ illâ, quæ in Deo est, & ipse-met Deus est, Essentiâ, & inde concludit, dicendo, *Tu exurges adhuc & Misereberis Sionis*; eo ipso in memoriam revocans, quæ tunc à Deo Sioni præstita jam erunt; & similiter quoque præstata ali-quando esse *Rachab & Babeli* promittuntur, Psal. 87. 4. *Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus statutum*, vers. 14. Et si scire aves, unde Misellus hic Pauper hoc sciat, & unde ei hæc confidentia, ut dicat, *Venisse jam miserendi tempus*; Imò advenisse tempus ad recordandum SIONIS, & ad miserendum ejus, præstitutum? En, rationem hanc affert, vers. 15.

Quoniam maximè diligunt Servi tui Lapidem ejus, & æquo animo ejus pulverem ferunt. Quali diceret,

Ed jam res cum Servis tuis devenit, ut non solum te in omnibus pœnis & judiciis, quæ nobis infixisti, & quibus omnes Mansiones nostras in Lapidum congeriem dissipasti, omnemque gloriam & factum nostrum in pulverem redigesti, justificemus; Sed, quod magis est, eò loco jam res sunt, ut in veritate dicere possimus, Nos jam reverà diligere ejus Lapidem, & æquo animo ferre ejus pulverem: utpote Experienciâ, Stultorum Magistrâ, probè edocti, non solum prorsus necessarium; sed & bonum & proficuum nobis fuisse, quod taliter nos humiliaveris, & à dolo & ab iniquitate, quibus tantopere implicati eramus, expurgare & eruere dignatus nos fueris.

Quod autem hæc verba illo sensu accipiam, & eò modo interpreter, id à Mo-se habeo; Ubi de Populo Israëlitico hætenus in peccatis suis indurato agens, dicit, *Deum ambulaturum contra eos ac inducturum illos in Terram hostilem, donec erubescat incircumcisum Cor eorum, & tunc וְאֵן יִרְצוּ אֶת-עֲוֹנָם* pœnam Iniquitatis suæ æquo animo ferent, (seu complacerebunt sibi in eis.) Et tunc ego, inquit Dominus, recordabor fœderis mei quod pepigi cum Jacob & Isaac & Abraham. Levit. xxvj. 41. Quali dixisset Dominus, Tunc demum tempus erit miserendi. Hoc igitur quum semel in Israële eventum comprobatum fuerit, quodd, quamprimùm eò esset deventum, ut Cor eorum Incircumcisum esset humiliatum, ipsique pœnas iniquitatis suæ æquo jam animo ferrent, in eisque complacentiam haberent, Dominus illic eorum misertus fuerit, eosque in gratiam suam receperit; Quidni Pauper hic inde concludat, quodd, cum sentiat incircumcisum suum Cor jam humiliatum esse, seque in promeritis Iniquitatis suæ pœnis (heic per Lapidem & pulverem notatis) complacentiam habere, *necessariò venisse Tempus miserendi, imò Tempus statutum reverà advenisse?* Nam quemadmodum se res habet apud quemque hominem in particulari, quem Deus ob peccata gravi aliquâ pœnâ & castigatio-ne afflixit, Quod quamprimùm incircumcisum suum Cor se humiliaverit, & in ipsis quoque Iniquitatis suæ pœnis sibi complacuerit, Deus eum illic in gratiam iterum recipiat; ita quoque se res habet cum toto Israële: idque in testimonium omnibus populis & gentibus, quas Deus creavit, quæque ob Iniquitatem suam unquam punientur: quamprimùm enim illæ quoque Incircum-cisum suum Cor humiliaverint, & in ipsis Iniquitatis suæ pœnis complacentiam cape-

cæperint, statim inde jure merito inferre possunt, *adesse jam miserendi tempus, imo & tempus exauditioni statutum advenisse.*

Exauditionis autem Consequentia (quæ Tertium hujus Orationis Caput constituit) his verbis exprimitur:

vers. 16. *Et timebunt gentes Nomen Jehova, & omnes Reges terra gloriam tuam.*
 17. *Quia edificaverit Jehova Sion, & visus fuerit in gloria sua.* 18. *Et respexerit ad orationem eorum, qui sunt velut Myrica, & non spreverit orationem eorum.* 19. *Scribetur hoc pro generatione novissimâ; & populus qui creabitur, laudabit Dominum.* 20. *Quia prospexit de excelsis Sanctuaris sue, Jehova è Cælo in terram aspexit.* 21. *Ut audiret gemitum vinctorum, ut solveret morti destinatos:* 22. *Ut narrent in Sion nomen Jehova, & laudem ejus in Jerusalem.* 23. *Quum congregati fuerint populi simul, & regna, ut serviant Jehova.*

En, ex hac Pauperis exauditione duo resultant rerum Capita, nunquam antè in Mundo visa vel audita: Quorum *primum* est (quod & suprâ Psal. LXXXVI. v. 6. ipse Christus, verus ille Davidis Filius, in Oratione quam ibi offert, innuerat) fore, *ut omnes quas creavit Deus gentes sint ventura, & Deum adoratura. & Nomen ejus glorificatura.* vers. 16, 17, 18. Alterum est, quòd ea de re *Liber conscribendus* erat pro generatione novissimâ. Imò & pro populo qui adhuc creabitur, quique hinc occasionem captabit, Dominum laudandi, vers. 19, 20, 21. Et utrumque non alio fine, quàm ut Nomen Jehovæ eò magis exaltetur, & Laus ejus celebretur in Sion & JERUSALEM. vers. 22, 23.

Verba prioris Capituli habentur vers. 16. *Et timebunt Gentes Nomen Jehovæ, & omnes Reges terræ gloriam tuam. Dum edificaverit Jehova SION, & visus fuerit in gloria sua, &c.* Ast dicat fortè quispiam, Nonne gentes, & omnes Reges terræ, Nomen Dei timuerunt & ad gloriam ejus consternati fuerunt, ex quo primam Regni in Israël restitutionem viderint, oculisque suis contemplati fuerint, quomodo Jehova ipse, toto Mille annorum Sabbatho, in Christo ejusque Sanctis, toti Mundo imperaverit, Populos regens in Justitiâ & Nationes in æquitate? Quid igitur sibi vult, quod de illo tempore videatur propriè dici: *Et timebunt gentes Nomen Domini?* Quasi id antè nunquam factum fuisset, Imò antequam hæc Pauperis ex Inferno Exauditio & redemptio unquam visæ essent? Ad hoc respondeo, Verum esse, quod quidem, ad primam Regni hujus Christi instaurationem, omnes reliquæ gentes, earumque Reges se submittent Domino, & Nomen ejus timebunt, *Deo Cælorum gloriam dantes.* Apoc. XI. 13. Imò & clanginge Tubâ ultimâ proclamabitur, *Omnia Regna Mundi facta esse Domini nostri & Christi ejus.* Ibid. vers. 15. Adeo ut etiam Inimici ipsius, præ timore & reverentiâ Majestatis ejus, pulverem pedum ipsius sint lincturi. Psal. LXXII. 9. Idque propter magnalia & mirabilia ista Opera, quæ viderint tam in recollectione Domus Jacobi ex omnibus finibus terræ, & restitutione Regni in Israël, quàm in reædificatione Civitatis Jerusalem super cumulum suum. Jer. 30. 18. Sed hic Timor qualiscunque, non est illud de quo hec agitur, quando dicitur *Et timebunt Gentes Nomen Domini.* Prior enim ille Timor, ex stupendis istis operibus enatus, non est nisi servilis Timor: Quando verò postea adhuc videbunt & experientur, quomodo Deus Opt. Maximus non solum Israëlcm ex omnibus ereptum

miseriis, in Laudem & gloriam posuerit toti terrarum Orbi: Sed quod Orationem quoque Pauperis, ex ipsis Inferni faucibus ad se clamantis exaudiverit, adeoque & ipsam Rahab & Babel in SION adduxerit; Tunc DEUM Opt. Max. prorsus alio modo, quàm unquam antè timebunt; nempe Timore verè filiali, prout Sanctos & ex DEO natos decet. Et quod hic sit genuinus horum verborum sensus, satis liquet ex illà, quæ vers. 17, & 18. allegatur, Ratione, unde Timor iste sit oriturus:

17. Quia (inquit textus) *adificaverit Jehova SION, & visus fuerit in gloriâ suâ, & respexerit ad Orationem eorum qui sunt velut Myrica, vel qui prorsus denudati sunt; & non spreverit Orationem eorum, vers. 18.* Quasi diceret, Quia nunc demum, per hanc Orationis Pauperis Exauditionem, DEUS plenè *adificavit SIONEM, & in majore gloriâ apparuit quàm unquam.* Prius se Dominus converterat ad Orationem Domus Israël, velut Primogeniti inter omnes Nationes, cui id Dominus promiserat; unde mirum non est, quod illi primi, Dominum, velut Filii Patrem, timuerint, honorârint & amaverint: Sed quando tandem aliquando Dominus quoque convertus fuerit ad Orationem ejus qui prorsus denudatus erat, & nulla Salutis promissâ habebat; tunc scilicet ii, qui hoc videbunt; non minorem, sed majorem utique occasionem habebunt, Dominum timore verè filiali, & intimo Synceri Amoris affectu adorandi, eique serviendi. Quâ de re consule *Psal. LXXij. 11, 12.* Ubi de Regibus & Populis omnibus, imò & Ethnicis, affirmatur, *quod Servient Domino; eò quod Pauperem eruet clamantem & afflictum (יָגֵן) cui non est auxiliator.* Item, loca *Ezech. xxxviii, & Apoc. xx.* inspicere, ubi de Gogo & Magogo fit mentio, quomodo illi, etiam post celebratum Mille annorum Sabbathum, sua rebellionem novam præbituri sint ansam, quâ clarius adhuc, quàm unquam, Nomen DEI inter gentes & cognoscetur & glorificabitur. Lubet hîc inferere quæ *Guil. Postellus, in Apoc. i. 18.* de hoc Arcano Redemptionis, tam ex ipso Inferno quàm Morte, difertè & liberè discurret: *Opus est, inquit, Mortem omnino & Infernum cum omnibus Peccati reliquiis ita abolere, ut non solum non moriamur aut damnemur amplius, sed infinitum Lucrum ex damnatione ad hanc diem permittâ recipiamus. Quum enim solius suâ voluntatis arbitrio DEUS VAS unum in honorem, aliud in contumeliam fecerit, opus est ita in libertatem, inque integrum, omnes & singulos in CHRISTO restitui, ut qui fuit in summo improprio & desperatione, sit, post restitutionem, in tanto majore Consolatione, & tanto vehementiore Amore, quanto majore à periculo & damno salvatus est. In hanc rem, & non frustra sunt CHRISTO data Claves Mortis & Inferni, ut omnino funditus & Mors aboleatur, & Infernus totâ humanâ Creaturâ spoliatur, ut solus maneat, si velit, in obstinatione & vinculis Sathanas cum suis obstinatis affectis, qui culpæ sine ulla Infirmirate Autor fuit. Hæc Postellus in Apoc. c. i. 18.*

II. Quod ex hac Pauperis exauditione resultabit, est quod vers. 19, 20, & 21. continetur, cum dicitur: *Scribetur hoc pro generatione novissimâ; & Populus, qui creabitur, laudabit Dominum. Quia prospexit de Excelso Sanctitatis suæ, JEHOVA è Cælo in Terram aspexit: Ut audiret gemitum vinætorum, ut solveret morti destinatos.* Nempe, hoc de Exauditione & Redemptione etiam ex Inferno

ferno dogma, res est, de quâ quidem Sancti experientiam aliquam habuerunt; Sed de quâ hætenus parum aut nihil scripto consignatum fuit; vel si quid de eâ proditum extat, id tam tectè & modo tam Arcano fit, ut communiter inter Christianos receptum fuerit hætenus vetus illud dixerium, *Ex Inferno nulla Redemptio*. At in illo, de quo hic agitur, tempore. *Liber de hac re conscribetur, pro generatione novissimâ*: Imo & pro Populo qui adhuc increatus est, Sed tunc demùm in lucem prodibit. In quo Libro Arcanum hoc toti Mundo manifestabitur, Quomodo scilicet J E H O V A de excelsis Sanctitatis suæ usque in profunditatem Abyssi prospexerit; & de Cælo in Terram aspexerit, ut audiret gemitum Vincitorum, & ut solveret morti destinatos, seu, ut textus habet כְּנֵי הַמּוֹתָו, *Filios Mortis*: Id est, ut & illos quoque redimeret, qui iusto D E I judicio, non Vitæ sed Morti erant destinati, & sententiam Mortis, non Vitæ, acceperant. Illi enim propriè *Filii Mortis* dicuntur, oppositè ad *Filios Vita*; & *Vincti* seu *Captivi*, oppositè ad *Redemptos* Domini. Pl. cvij. 2. Cur verò res hæc nunc non æquè clarè scripto fuerit consignata, ac tunc fiet; in Causâ potissimùm esse videtur, Quod si nunc illud scripto proditum fuisset, antequam ritè constaret, quæ esset hæc Mortis & Infernalis captivitatis miseria, facilè quis, vel ob ignorantiam, vel ob ignaviam, susque deque eam haberet, penes se reputans, Si quidem etiam ex Inferno tandem redemptio datur; quid opus est eam heic tam anxie querere? Sed illo tempore, quando jam Pauper hic notum fecerit, quid sit comprehendere in Irâ Dei, & ab igne Indignationis ejus torqueri, ibique velut captivum, & filium Mortis & Condemnationis contineri, præter omnem evasionspem, usquedum tandem aliquando, post exantlatas miseras (vers. 4, 5, 6. usque ad 13. descriptas) inopinata aliqua Divinæ gratiæ lux homini exoritur. Tunc periculum ejusmodi non erit, ne quis susque deque habeat, heic in præsentî vitâ, an in futurâ demùm redemptionem suam obtineat?

Deinde, aliam nobis causam suggerunt vers. 22. & 23. Cur tunc potissimum scripto hæc erant consignanda, nempe vers. 22. *Ut narrent in Sion nomen Jehovæ, & laudem ejus in Ierusalaim. Quum congregati fuerint Populi simul, & Regna, ut serviant Jehovæ*. Quasi diceretur, Quicquid hætenus de Nomine Jehovæ in Sion, & de ejus laude in Ierusalaim, annunciatum fuit, utcunque magnum & gloriosum fuerit, nondum tamen erat Nominis & laudis plenitudo. Sed quandocunque nunc præter Israëlem, aliæ quoque Gentes, earumque Reges, unâ convenient, ad Dominum concordî animo colendum; tunc verè Dei nomen majus erit in Sione, & laus ejus plenior in Ierusalaim, quàm unquam. Non enim nec in Sione, nec in Ierusalem, invenietur quisquam qui Pauperi hanc exauditionem, vel filiis mortis hanc redemptionem aliquo modo invidet. Nullus, qui se geret instar fratris istius Filii Prodigii, qui ut audivit, quanto gaudio Pater ejus fratrem recepisset, Indignatus fuit & noluit intrare. *Luc. XV.* Nullus, qui ubi videt postremos Operarios in vineâ eandem mercedem accipere ac ipse, qui diu antè in vineâ laborasset, eapropter murmurabit. *Math. xx. 11.* Sed omnes ingenti cum animi gaudio hanc Dei benignitatem & fidelitatem narrabunt, laudabunt, & undiquaque annunciabunt. *Idque tunc in Libro conscribetur*: non ali-

ter ac olim Liberatio Populi Israëlitici ex Ægypto, & postea quoque ejusdem reductio ex Babylone & omnibus finibus terræ; Ita similiter hæc Redemptio ex Inferni portis scripto consignabitur, ut æternæ consecratur memoriæ, etiam apud populum qui adhuc creabitur.

Sic itaque Tertium quoque hujus Psalmi Caput vidimus; nempe *Exauditionis hujus Consequentiam*: Sequitur Quartum & ultimum, quod est *Rei totius Repetitio quadam*, ad agnoscendum Dei æternum permanentem veritatem. Constat autem vers. 24, 25, &c.

24. *Afflixit in viâ fortitudinem meam, abbreviavit dies meos.* 25. *Dico, Deus mi, ne succidas me in dimidio dierum meorum: in generatione generationum Anni tui.* 26. *Antea Terram fundasti, & opus manuum tuarum sunt Cæli.* 27. *Ipsi peribunt, at tu perstabis, & omnia ipsa sicut vestimentum veterascent: veluti pallium mutabis eos, & mutabuntur.* 28. *Tu autem idem es: & anni tui non consumentur.* 29. *Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum coram te stabilietur.*

Suprà mentio fuit de annunciando Nomen Domini in Sione, & laudem ejus in Jerusalaïm: heic audimus nunc, quid sit illa narratio seu annunciatio; nempe quoddam sit Repetitio quædam trium potissimum rerum, de quibus Deus laudandus & exaltandus est.

I. Earum rerum, quæ nobis præstitit Deus; de iis enim ritè perpensis unusquisque dicet, prout heic fit: *Afflixit in viâ fortitudinem meam, abbreviavit dies meos.* Dico, Deus mi, ne succidas me in dimidio dierum meorum. vers. 24, 25.

II. Ejus, quod Deus in se-ipso est; & quomodo ipse semper idem manet, de generatione in generationem; absque eo ut unquam mutetur, etiamsi ipsi Cæli & Terra mutationibus sint obnoxia. *In generatione generationum Anni tui. Antea terram fundasti & opus manuum tuarum sunt Cæli. Ipsi peribunt, at tu perstabis, & omnia ipsa sicut vestimentum veterascent: veluti pallium mutabis eos, & mutabuntur: Tu autem idem es, & anni tui non consumentur.* vers. 25, 26, 27, 28.

III. Etiam in Sione & Jerusalaïm narrabitur, Quod filii servorum Domini fixam possidebunt habitationem, & quod illorum semen coram Deo stabilietur, ne unquam nutet amplius, sed continuo coram eo stet eique serviat de generatione in generationem, prout de eo legere est cap. XLIV. Ezech. nec non & heic vers. 19. *Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum coram eo stabilietur.*

Sic igitur Orationem Pauperis audivimus, seu humillimam supplicationem ejus, qui pro tempore à Civitate Domini proscriptus, & cum aliis Iniquitatis Operariis è terra viventium deletus, coram Deo animam suam effundit. Nunc pergamus, & audiamus quoque quæ hinc Laus & gratiarum Actio sit subsecutura.